

cio et perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandum secretum. *Vide verb. JURAMENTUM*, art. 1, n. 13, verb. *MENDACIUM*, n. 21 et 22.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nihil unquam excusat a perjurio; quare nec etiam admitterem, posse secretarium regni juramento uti in casu proposito n. 6. Idem dicito de casibus n. 7, 8 et 9, enodatis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Sed hic recurret pro me responsio mox n. 56 data, ut videantur scilicet pro dictis meis assertionibus allata solida fundamenta sub verb. *ACCUSATUS*, a n. 10 ad 43, et sub verb. *JURAMENTUM*, a n. 13 ad 26; et Scotus, in 4, dist. 15, q. 4, art. 3, et cum aliis Magistris, *Theol. moral.*, disp. 10, in q. 9, art. 1, n. 171 et 172, et disp. 6, qu. 2, art. 3. * Atqui fundamenta, quæ Ferraris pro usu restrictionum mentalium affert, solida non esse et a Romano theologo, et a nobis sæpe, ac præsertim ad verb. *cit. animadversum* fuit. * *V. Addit. Casin.*, v. *JURAMENTUM*.

5. Hinc confessarius, quamvis interrogetur a tyranno, an aliquid sciat ut confessarius, et scientia sacramentali de peccato penitentis, poterit etiam cum juramento asserere, se nihil scire, etiam spectata tali scientia sacramentali, retinendo in mente ad dicendum. *V. verb. JURAMENTUM*, art. 1, n. 15.

6. Sic secretarius regni, ad occultandam veritatem, et servandum sibi impositum sigillum, poterit uti amphibologia, aut æquivocatione, vel restrictione mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera a marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, et sic de aliis similibus casibus. *Vide, ibid.*, n. 16.

7. Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a iudice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientie non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. *Vide, ibid.*, n. 17.

8. Item qui juramento interrogatus, an veniat ex tali loco? qui falso existimatur infectus, jurare potest, se inde non venire, subintelligendo *eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto*. Imo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare

RETRACTUS GENTILITIUS.

Vide verb. CONTRACTUS EMPTIONIS, art. 4, a n. 26 ad 42.

REUS.

SUMMARIUM.

1. Reus unde dicatur? — 2. Reus non tenetur probare quod negat, sed accusator. — 3. Reo potius favendum est, quam actori, si jura sunt obscura. — 4. Reus non tenetur dare actori suas scripturas contra se. — 5. Reus non est, qui non ex voluntate,

posset, non transisse, utendo eadem restrictione. *Vide, ibid.*, n. 18.

9. Item si clericus, vel religiosus sit coram sæculari iudice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente iudice deponi debeat*. Item si clericus, vel religiosus, aut alia persona exempta a gabellis solvendis interrogatur a gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabellæ obstrictum? jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione: *Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam*. *Vide, ibid.*, n. 19.

10. Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. *Vide, ibid.*, n. 20.

11. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? *Vide, ibid.*, n. 21.

12. Reus an et quando teneatur, vel non, fateri veritatem iudici ipsum interroganti sub juramento? *Vide verb. ACCUSATUS*, a n. 10 ad 43.

13. Affertur et solvitur instantia. *Vide d. verb. JURAMENTUM*, art. 1, n. 23.

14. Affertur et solvitur alia instantia. *V. ibid.*, n. 24 et 25.

MONITUM ROMANI CENSORIS.

Facilem se præbere auctorem nostrum in æquivocationibus, restrictionibusque mentalibus indulgendis, mediis quibusdam distinctiunculis eo duntaxat tendentibus, ut propositionum hac de re damnatarum censura eludatur, ex variis locis hujusce Bibliothecæ ingenuo lectori plane constabit. Nos ne muneri nostro deesse videremur, ubicunque hanc doctrinam Christianæ simplicitati minime consentaneam tradi perspeximus, illis debitis animadversionibus occurrere studuimus, ut verbo *ACCUSATUS*, a n. 18 ad n. 24, ac in notis ad n. 28, et ad calcem articuli, necnon verbo *JURAMENTUM*, in not. ad n. 26, itemque verb. *MENDACIUM*, in not. ad n. 21. Eandem doctrinam astruere conatur idem auctor in universo fere hoc articulo, quem si emendare aggredieremur, totum illum reformaremus oporteret, opus sane supervacaneum. Lectores itaque duntaxat præmonemus, ut caveant a sententiis ibi expositis a num. 4 ad n. 9, nec minori cautela legendum esse sciant sequentem articulum *REUS*. — Sed *V. Add. Cas.*, v. *JURAMENTUM*, n. 19 et seqq.

accusatus, et non sufficienter convictus damnari non potest, nec pœna ordinaria affici. — 11. Reus, si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat, potest victum aut potum oblatum rejicere. — 12. Reus licite fugit ante et post sententiam mortis, aut trimum, vel carceris perpetui. — 13. Imo regulariter potest reus licite fugere, quamvis custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum. — 14. Reus potest licite saltem in foro

(1. Reus dicitur a re, quæ petitur, textu expresso in cap. *Forus* 10, De verbor. significatione, ibi: « Reus a re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quandiu in iudicium pro re aliqua petitur. »

(2. Reus non tenetur probare quod negat, sed accusator. Cap. *Quod autem* 1, cap. *Accusator* 2, caus. 6, quæst. 5, cap. *Bonæ memoriæ* 22, De electione, l. *Et incumbit* 2, ff. *De probationibus*, l. *Actor* 23, cod. *De probationibus*, cum similibus.

(3. Reo potius favendum est, quam actori, si jura sunt obscura, textu expresso in cap. *Cum sunt* 11, De regul. juris in 6, ibi: « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. » L. *Favorabiliores* 125, ff. *De diversis regulis juris*, ibi: « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. »

(4. Reus non tenetur dare actori suas scripturas contra se, textu expresso in cap. 1 *De probationibus*, l. *Qui accusare* 4, c. *De edendo*. Non enim juris aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitatus arma, quibus impugnatur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur. L. *Nimis grave*, cod. *De testibus*. *Vide verb. PROBATIO*, a num. 61.

(5. Reus non est, qui non ex voluntate, sed ex necessitate peccavit. Cap. *Aliquos* 5, et cap. *Illa cavenda* 6, caus. 15, quæst. 1, cum similibus.

(6. Reus in foro audiendus est, et hunc sequi debet actor. Cap. *Si quis* 2, et cap. *Pulsatus* 3, qu. 6, cap. *Sane* 3, De foro competentis, cum similibus.

(7. Si reus non potest inveniri, sufficit ponere citationem in ecclesia rei. Cap. *Venerabilis* 10, De dolo et contumacia.

(8. Reo convicto de delicto non admittitur probatio negativa; seu reo probante, quod non deliquit, si probatum sit deliquisse, ei non creditur. Cap. *Ad nostram* 12, De probationibus.

(9. Reus non potest alium accusare, nisi prius se purget, cap. *Neganda* 1, cap. *Non est credendum* 3, q. 11, cum similibus.

(10. Reus accusatus et non sufficienter convictus damnari non potest, nec pœna ordinaria affici. Lugo, *De justitia*, disp. 37, sect. 12; La Croix, lib. iv, n. 1496; Lessius, Sanchez, et alii passim; nec indiget probatione, cum de se pateat. Unde reus accusatus, et non sufficienter convictus absolvitur a nota infamiæ. Concil. *Lateranens.* iii, in *Appendic.*, part. l. c. 65.

(11. Reus, si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat, potest victum aut potum

conscientiæ (præcisæ vi et injuria) custodes decipere, vincula et carceres effringere. — 15. Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum carcerem fugiant alii carcerati. — 16. Adducitur et solvitur instantia. — 17. Qui non sunt ministri justitiæ, possunt licite non solum consilio, sed etiam instrumentis reum juvare, ut fugiat. Alia notanda ad n. 58.

oblatum rejicere. Layman, lib. i, tract. 5, cap. 8, n. 9; Lessius, *De justitia*, lib. ii, cap. 9, n. 25; Gobat, in *Quin.*, tract. 5, cap. 1, n. 68; La Croix, lib. iii, part. i, n. 779, et alii contra alios. Et ratio nostra est, quia, si sententia sit justa, non tenetur reus cibum et potum oblatum sumere, cum reus possit executionem justæ sententiæ in se admittere, v. g. venenum bibere, venam sibi aperire, in ignem se injicere, scalas ascendere, funem collo circumligare, et hujusmodi, si illa præcipiantur; uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut docent Azorius, Sotus, Malderus, Lessius, et alii apud Dianam, part. v, tract. 4, resolut. 41.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Falsum est, posse reum oblatum cibum rejicere, licet morti sit damnatus.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast mea conclusio non dicit genericè, licet morti sit damnatus, sed specificè, *si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat*, quod certe non est falsum, ut falso asserit theologus. Si enim reus damnatus ad mortem, potest ex amore justitiæ permittere illius in se executionem, uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut tradunt passim auctores, et inter alios etiam clarissimus P. Antoine, tract. *De obligationibus*, § 4 *De reo*, quæst. 2, resp. 5, expresse dicens: « Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ: imo mortem commérito licet se iudici ultro sistere, et occasionem justitiæ offerre; » et celeberrimus Colet, tom. III, tract. *De Decalogo*, cap. 5, art. 1, concl. 2, ubi expresse sic asserit: « Quartus casus est, cum quis, ut Deo et justitiæ faciat satis, non arripit media, quibus incolumem se præstet; sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea, quæ ad mortem præambula sunt, facere; ut 1. se offerre iudici, secundum S. Thomam; 2. non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, et noverit paratam sibi esse mortem. Et reipsa martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum, patentibus portis, e carceribus non exierunt. » Ecce igitur non poterit reus juste damnatus, ut fame vel siti pereat, victum aut potum sibi oblatum rejicere, ut Deo et justitiæ faciat satis, cum talis ad mortem suam non concurrat active, sed passive tantum se habens, ut justitiæ amore eam fortiter tanquam perferat? Nonne in tali casu potest reus ex zelo et amore justitiæ, et ad justam punitionem suorum scelerum se velle conformare iudicis justæ sententiæ, fame vel

siti pereundo, sicut potest velle non conservare vitam ex motivo alterius virtutis v. g. pro charitate amicorum, et hujusmodi? Videatur ad rem inter alios Roncaglia, tom. II, tract. 15, quæst. 9; Alphonsus de Ligorio, lib. IV, dub. 7, art. 2, num. 283; Sporer, tom. I, tract. 5, cap. 3, n. 29, et ultra *ibi* citatos, alii plurimi in sensu meæ conclusionis. * Cæterum Antoine, *loc. cit.*, in resp. ad quæst. 2, ubi statuit licere reo ponere actiones necessarias saltem moraliter ad executionem pœnæ justæ, quæ aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ cum morte, subdit: « Non licet tamen reo exsequi pœnam mortis aut mutilationis, v. gr. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præfocare, se projicere e scala; quia seipsum directe occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare; et ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant juri naturali. » Colet etiam, *loc. cit.*, cum sibi objecisset: « Non magis reus venenum ex iudicis imperio hauriens, se ipsum occidere censetur, quam cum scalas ascendit, aut collum extendit abscondendum: atqui in posteriori casu semetipsum occidere non censetur; ergo nec in priori. Resp. neg. maj. Actiones enim, quæ mortem violentam præcedunt duplicis sunt generis; alia per se, et directe mortem procreant, ut se ex scalis dejicere, bibere venenum, venas abscondere, cum eas statim occludere non licet; aliæ licet ad mortem facilius recipiendam disponant, eam tamen per se, et immediate non pariunt, unde non ex ipsis, sed ex actione ministri consequitur mors: in hoc ordine sunt scalam ascendere, linguam extrahere amputandam, etc. Actus prioris generis a iudice non possunt imperari reo; alioqui poterit etiam homo atrocis sceleris reus, jubente iudice scelopum in se explodere; quod nemo admiserit: nihil vero obstat, quominus iudex actus secundi generis præcipiat, quia nec naturæ repugnant, nec ex se mortem inferunt. Ita ferme Sylvius ubi *supra*. »

(12. Reus licite fugit ante et post sententiam v. gr. mortis, vel triremium, aut carceris perpetui. Quilibet enim habet tam magnum jus ad suam vitam conservandam, ut nulla humana potestate possit præpediri, cum commode conservari potest; nisi bonum publicum aliud postulet. Lessius, lib. II, cap. 31, dub. 5; Busemb., lib. IV, cap. 4, dub. 8, art. 2; La Croix, *ibid.*, n. 1525, et alii passim. (13. Imo regulariter potest reus licite fugere, quamvis custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum: reus enim utitur jure suo, et nulli facit injuriam. Lessius, *loc. cit.*, n. 31; Busemb. et La Croix, *locis cit.*, Fillucius, tract. 40, n. 274, et alii plures.

(14. Reus potest licite saltem in foro conscientie (præcisa vi et injuria) custodes decipere, vincula et carceres effringere. Cum enim sit licitus finis, licita debent esse etiam media; quia concessio fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur. Cap. *Præterea* 5, et c. *Su-*

spicionis 39, De offic. delegati, l. *Cui jurisdictionis* 2. Sic doctores citati, et alii plures.

(15. Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum parietem fugiant alii carcerati, quia ipse utitur jure suo, et solum per accidens est causa talis damni. Sic citati doctores, et Bannes, Valer., Reginald., et alii contra alios; ipse enim non tenetur ex re accepta, neque ex injusta acceptione, cum licite id fecerit utendo jure suo.

(16. Nec valet objicere, quod, l. *De his* 1, ff. *De effractoribus et expilatoribus*, expresse statuitur graviter puniendos esse illos, qui, effractis carceribus, aufugiunt, *ibi*: « De his, qui, effracto carcere, evaserunt, sumendum supplicium divi fratres Emilio Tironi rescripserunt. Saturninus etiam probat eos, qui de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione cum cæteris, qui in eadem custodia erant, capite puniendos. » Non valet, inquam, quia vel id fit, ex quo *ibi* jurisconsultus secutus sit contrariam sententiam, quam defendunt etiam aliqui theologi, vel ea præsumptione, quod rei carcerati vim intulerint custodibus; vel ex quo propter bonum publicum ea pœna statuta sit. Fillucius, *loc. cit.*; Busemb. et La Croix, *loc. cit.*; Tanner, d. 4, qu. 4, dub. 5, ex aliis multis Merbesius, *Summ. Christian.*, t. II, qu. 763, concl. 6; Henno, tom. II, tr. 2, qu. 5, conclus. 5; Cajetanus, Sotus, Bann., Salon., Azor. citati et secuti a Sylvio, in 2-2, quæst. 69, art. 5, qu. 2, ubi sic habet: « Quia reus carcerem effringens utitur jure, quod habet ad fugiendum, et nulli fecit injuriam, neque enim carceres, neque compedes sunt injuriæ capaces, ipsis autem justitiæ ministris nihil injuriæ, ut supponitur, facit. »

(17. Qui non sunt ministri justitiæ possunt licite, non solum consilio, sed etiam instrumentis, v. g. funibus, lima, et hujusmodi, reum juvare, ut fugiat, quia licet suadere alteri finem ipsi licitum, et ad eundem finem media applicare. Arg. cit. *Juribus*, supra sub n. 13; Tanner, *loc. cit.*; Henno, *loc. cit.*; Lessius, *loc. cit.*, n. 40; Turrian., Vasquez, et alii cum Busemb. et La Croix, *loc. cit.* (18. Non possunt tamen licite ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia executio ipsa effractionis est licita soli reo propter jus vitæ conservandæ. Sic doctores citati, et alii passim. (19. Dicastillus autem, l. II, tit. 1, d. 6, n. 88, et alii tenent, quod liceat etiam proximis consanguineis, ut patri, conjugi, fratri rei ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia censetur una cum ipso persona. Et idem licere dicunt illi, qui certissime timet, ne a reo prodatur, et similiter incarceretur; quia sic liberando reum, censetur liberare seipsum.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nulla modo est licitum; et si quis id faceret, justa pœna mulctaretur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast esse licitum, ultra auctores a me alle-

gatos, sustinent doctiss. P. Fulgentius Cuniliati tr. 11, in 7 *Decal. præcept.*, De ordine judiciali, n. 10, sic expresse dicens: « Respondeo, Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere, non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, et ministrare instrumenta ad illa exsequenda, etc. » et dict. clariss. P. Antoine, *loco cit.*, resp. 3; Roncaglia, tract. 15, *De 8 Decal. præcept.*, cap. 2, qu. 16, resp. 4, et alii passim. Neque per hoc, quod si quis id faceret, pœna mulctaretur, inferitur, quod mortaliter peccaret, ut de reo infringente carceres tradunt Antoine, et Cuniliati, *locis cit.*, et alii passim, quia leges id vetantes sunt mere pœnales, obligantes solummodo in foro fori, et non in foro Poli. * Antoine tamen, et Cuniliati ex aliorum tantum sententia loquuntur. Referunt enim quid hæc de re Cajetanus, aliique censeant. Quanquam, cum horum opinionem proponant, nec improbet, eandem approbasse censeri possint. Illorum autem sententiam, qui putant fas esse aliis adjuvare reum sua opera, suoque facto ad carcerem effringendum, plane rejiciunt. Sic enim Antoine: « Negant omnes, teste Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carceres, seu portas, effodiendo parietes, vel alia similia faciendo, quia custodiam publicam violarent; et alias nihil posset esse satis firmum ac tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum reipublicæ detrimentum. Si enim non licet effringere portas, vel parietes domus privatae, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret reo ipsi, propter naturale jus conservandi vitam, non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem. » Cuniliati vero: « Respondeo, Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere, non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, et ministrare instrumenta ad illam exsequendam: nemini autem licere adjuvare reum suo facto, suaque opera ad effringendum, aut ad fugiendum, puta funibus extrahendo, scalam sustentando, etc., quia id, quod licet reo ex juris naturalis indulgentia, idem jus aliis vetat; nam perturbaretur omnis ordo justitiæ, et iudicium jura nimis offenderentur: si enim non licet effringere fores domus privatae ulli, qui non sit in necessitate salvandi propriam vitam, multo minus licebit præstare operam ad effringendas fores domus publicæ potestatis, quod ideo a publica justitia dissimulatur in condemnato ad mortem, ob vim urgentissimam inclinationis naturalis ad propriam vitam tuendam; quod motivum aliis deest. »

(20. Reus emissus ad tempus e carcere, si juravit ad ipsum redire, tenetur stare juramento, si carcer sit justus, etiamsi esset periculum mortis. Suarez, Vasquez, Sanchez, Castropal., Tambur., Gob., aliique passim cum La Croix, lib. III, part. II, n. 334. Si autem carcer sit injustus, Vasquez, et alii multi apud Dianam, part. IX, tract. 8, resolut. 64, et alii apud Castrop.,

d. 2, punct. 4, n. 24, et apud Sanchez, in *Decalog.* lib. III, c. 11, n. 26, negant teneri stare juramento: imo alii dicunt, posse etiam fugere, licet juravit, se non fugituro, quia temerarium est se sine causa morti objicere, eo vel maxime, quod status rerum mutatus sit, cum pro illo tempore, quo juravit, non fuerit præsens, et commoda occasio sic mortem fugiendi et evitandi, quæ postea talis est. Suar. vero, Layman, Lessius, Bonac., Gob., et alii dicunt, teneri non fugere, et etiam redire, si sic juravit, quia juramentum est causa gravissima, ne dicatur temere vitam morti exponere, cum exponat in reverentiam juramenti facti: placet tamen limitatio Sanch., *loc. cit.*, n. 34; Castropal., *loc. cit.*, n. 16; Tamb., lib. III, § 5, num. 53, et plurimum aliorum, quod scilicet possit fugere, seu non teneatur redire, si quando juravit, non prævidit mortem, vel alia gravia pericula, quæ postea prævidet, quando est occasio fugiendi, aut non redeundi; imo Covarruv. et alii absolute tenent peccare tunc reum, si non fugiat, vel si redeat in talia pericula.

(21. Reo non licet occidere ministros justitiæ, nec illis vim inferre vulnerando, percutiendo, ut se ab illis liberet, quia non sunt iniqui aggressores. Layman, lib. III, tract. 3, pag. 3, cap. 2, et communis aliorum.

(22. Reus non tenetur veritatem fateri iudici, etiamsi interrogetur sub juramento, quando non servato juris ordine interrogatur. *Vide verb. Accusatus*, n. 10 *.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Si interrogetur juris ordine haud servato, non tenetur verum fateri, haudquaquam dicere falsum.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast hæc est ipsissima mea conclusio, qui insuper ibidem n. 23 seq., assigno modum ad evitandum perjurium in occultanda veritate iudici interroganti, juris ordine non servato.

(23. Assignatur conveniens modus ad evitandum perjurium in occultanda veritate iudici non legitimo, seu non servanti juris ordinem. *Vide, ibid.*, n. 11 *. Confer Romani theologi ad art. illum animadversionem, et novas Addit. * V. *Add. Cas.*, v. JURAMENTUM.

(24. Reus tenetur fateri crimen iudici legitimo, et servato juris ordine interroganti, et præcipienti sub juramento de dicenda veritate, maxime loquendo de confessione delictorum non inferentium pœnam capitale, et alias similes gravissimas pœnas, alias non excusabitur a peccato mortali et perjurio. *Vide, ibid.*, n. 12, 13 et 14.

(25. Loquendo vero de confessione et manifestatione delictorum inferentium pœnam capitale, vel alias gravissimas pœnas, sunt duæ extremæ sententiæ. Prima sententia absolute sustinet, teneri semper sub mortali reum legitime interrogatum fateri veritatem, etiamsi propter talem confessionem esset morte plectendus, et sine tali